

quia magna nos pro Dei amore merces expectat: tantum ne ab ejus cultura, vel opere semel devota mens se retrahat, ne ei dicatur: Habeo adversum te pauca, quod charitatem priorem reliquisti. Unde certum est, non hominibus placendum, sed Christo: nec humanam laudem queri debere, sed divinam. Quid nobis prodest, si illi nos laudent, quibus placere peccatum est? Quidve obest, si vituperent hi, quorum non plus vituperatio prodest, quam obest laudatio? Audiamus magis quid ille vas electionis doctor gentium dicat: & quo nos ne hominibus placere vellemus, hortetur exemplo. Si hominibus, inquit, placere vellem, Christi servus non essem. Unde nulli dubium est, eos Christo servire non posse, qui hominibus optant potius quam Christo placere.

Contenti ergo interim simus hominibus displicere, tantum ut Christo placeamus. Nec eorum laudibus delectemur, qui non alios quam sibi similes laudant. Nos potius laudent Prophetæ & Apostoli, laudet in Evangelio suo Christus. Tunc erimus vere felices: si à talibus laudari digni fuerimus. Omnium enim horum voce laudabimur: si quæcumque Dominus per Apostolos vel Prophetas videtur præcepisse, servaverimus.

Nobis igitur detrahentibus cunctis & vituperantibus universis simus sobrii, sancti, humiles, & pudici, & Deum semper fidei corde precemur: ut ipse semper in nostra mente sit, & lux ejus nostro semper in pectore, ut possimus prophetica loqui voce: Pro eo ut me diligenter, detrahebant mihi: ego autem orabam pro eis. Et alibi: Humiliavi in jejunio animam meam, & factum est mihi in opprobrium. Et postui vestimentum meum cilicium, & factus sum illis in parabolam. Et iterum: Genita mea infirmata sunt jejunio, & infirmata est caro mea propter oleum. Et ego factus sum in opprobrium illis: viderunt me & moverunt capita sua. Adjuva me Domine Deus meus. Vides ergo omnes Prophetas & sanctos propter hoc semper hominum sublationes pertulisse, quia Deo vellent fideliter servire. Hoc & Apostolus ait: Fidelis sermo. In hoc enim laboramus & maledicimur, quia speramus in Deum vivum, qui est salvator omnium, maxime fidelium.

Quid plura? nisi ut sæpe jam diximus: Cursum quem in timore Dei cæpimus, consummemus. Simus cæteris in amore Dei forma: custodientes ne quis in nobis aliquid scurrilitatis reprehendat aut vanitatis, sed magis quicquid est gravitatis & modestiæ: quia Christiani vita omnibus in speculo posita est. Qui etiam si quippiam citabaverit, jam cecidisse jactatur, & amplius etiam dicitur quam videtur. Simus ergo sapientes, graves, quieti; nunquam vanitatem, nunquam opera hominum lingua nostra loquatur, sed sine intermissione legem Dei nostri meditetur. Tunc si quis extiterit suæ salutis inimicus, qui subsannet & detrahat & derideat: hæc non solum non metuamus, sed potius gaudeamus.

Et hinc nos aliquatenus consolemur, si mereamur odio magis sæculi vivere, quam Christi. Caveamus quoque ambulare indecenter & inquiete, sicut & sanctus Apostolus monet, dicens: Rogo autem vos ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundum traditionem, quam acceperunt à nobis. Cum hæc à nobis omnia omnino nostra virtute fuerint custodita: quicunque putaverit derogandum nobis, propheticae simus sententiæ memores, per quam Dominus sui nominis causa tribulatos hortatur, dicens: Et tu fili hominis ne timearis eos, neque paveas à facie eorum, quoniam insipientes & convenient adversus te. In gyro & in medio scorpionum tu habitas, verba eorum ne timearis, & à facie eorum ne paveas. Et alibi dicit: Audite me qui nostis iudicium, popule meus. in quorum corde lex mea est: Nolite timere opprobria hominum, & blasphemias eorum ne metuatis: quia sicut vestimentum, ita per tempus deficient: & ut lanam, comedet eos tinea: Justitia autem mea in æternum manet. Salutare verò meum in sæculum sæculi. Servandum præ omnibus: ne alterius laudem velimus servare, quam Christi: ut & nos cum Propheta possimus dicere: Apud te laus mihi in Ecclesia magna. Et iterum: Tanquam prodigium factus sum multis: & tu adjutor fortis. Et iterum: Maledicent illi, & tu benedices. Qui insurgunt in me, confundantur: servus autem tuus labatur in te.

Hæc ad consolationem in Dei timore, devotis mentibus, prout ingenii tenuitas potuit profectus sum breviter. Nunc

supereit ut aliquid amplius faciat mens devota, quam nostra parvitas sufficit admonere. Salute omnes qui diligunt Dominum nostrum Jesum Christum: qui cum Patre omnipotente sit laus, virtus & gloria cum Spiritu sancto, & nunc & semper & in omnia sæcula sæculorum. Amen.

CENSURA EPISTOLÆ SEQUENTIS.

Quis non rideat hunc sermonem? In ipsa statim salutatione addidit Hieronymo patris nomen. Nec hoc contentus, Sophronium adiecit, irritavi opinor, ne non haberet tria nomina, cum ipsi Hieronymus nunquam se nisi simplici nomine notet: in Catalogo, propter historia fidem, presbyteri tantum titulum addens: nonnunquam modestia causa peccatoris. Patris nomen & patriam indicavit duntaxat, non usurpat. Deinde affinxit Oceani vocabulum, quod ad hunc extent quedam ab Hieronymo scripta, ut ne dicam interim, totam salutationis figuram alienam esse ab Hieronymi consuetudine. Tum autem quam venuste rem aggreditur: Deprecatus es, inquit, ut tibi breviter exponerem, qualiter clerici debeant vitare in hac vita mortalium: Jam illud quod sequitur, quam convenienter coheret cum superioribus. Hinc ne plerique maledictis æmuli præstolantur, quia non sileo viritatem. Rursum illud jam disputationis caput, quam dextrè atroxuit: Tamen mihi charissime ab Apostolo sumamus exordium, qui ait. Quis non statim sentiat hunc scriptorem, ut liberè quod sentio dicam, aut temulentum fuisse, aut febri laborasse? Atque hujus elegantia totus est sermo reliquus, infans, incompotus, insulsus, diffuens, sordidissimis verborum portentis scærens: quod genus sunt illa, meliorare, secretaliter. Nam agapete Græco vocabulo, quod è divo Hieronymo sublegit, mirè sibi placuit, planè futurum ratus, propter unam hanc voculam neminem dubitaturum, quin hæc ipse suis articulis scripsisset Hieronymus. Adde his, quod tam reverenter citat Sulpitium, qui divi Martini vitam conscripsit. Atque is vidit quidem divum Hieronymum, sed senem juvenis. Nec hujus ullam facit mentionem in Catalogo, nec is Hieronymo nos, recentiores scriptores præsertim Latinos, tanta cum reverentia citare. Sed quid opus argumentis? Quisquis hunc sermonis characterem non potest ab Hieronymiano scernere, is nec a sinu ab equo distinguet. Proinde Epistola hæc pro suo merito tractata fuit à librariis, qui eam depravatissime scriptam, depravatus transcripserunt. Et quemadmodum ille sibi permisit scribere quicquid in buccam veniret, ita hi sibi permisissent scribere quicquid in calamus incidere, chartis illinere.

AD OCEANUM DE VITA clericorum.

SOPHRONIUS Eusebius Hieronymus Oceano suo salutem. Deprecatus es, ut tibi breviter exponerem, qualiter clerici debeant vitare in hac vita mortalium. Hinc me plerique maledictis æmuli præstolantur, quia non sileo veritatem: tamen mihi charissime, ab Apostolo sumamus exordium, qui ait: Humanus sermo & omni acceptione dignus. Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Oportet enim Episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, pudicum, benignum, ornatum, hospitem, docibilem, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non vinolentum, domui suæ qui bene præest: & reliqua. Totum comprehendit esse cavendum: cum irreprehensibilem ponit.

Quomodo igitur alterum reprehendet, cum ipse qui accepit potestatem ut doceat, sit reprehensibilis? Quia vita Episcopi, forma debet esse clericorum. Ex Episcopo gradus cæteri clericorum condiscunt quomodo debeant vivere in hac vita mortali. Seipos imitabiles debent proponere sacerdotes: ut alii juniores, gradus humiles consecuti, vita & testimonio sacerdotum possint exurgere. Præcipue illud reor attentius tibi esse providendum: quia prima tentamenta sunt clericorum, mulierum frequentes accessus: iste sexus reprehensibiles exhibet clericos. Quid tibi revera cum feminis, qui ad altare cum Domino fabularis? Te cuncti in publico, te in agro rustici, aratores ac vinitores quotidie graviter lacerabant, si contra dispositum fidei, cum feminis habitare contendis. Et quia, ut arbitror, concupiscis irreprehensibilis inveniri, testimonio bono utere. Nunquid in choro Apostolorum feminae affuerunt? Prohibe tecum virgines morari, etiam quæ de genere tuo sunt. Dilige eas,

exterius ordina, frequenter visita junctus obsequio clericorum: ne dum secretaliter ac solus ingrederis, macules testimonium tuum.

Illud etiam adjiciendum est: quia si uxorem duceres, lex te non prohiberet habitare cum conserva. Cum uxoris enim consensu ejusmodi ad regimen sacerdotii promoventur: maxime cum Apostoli Epistola præceptum hoc habeat: Unius uxoris virum ad honorem clericatus eligendum. Te verò non ita salutaria præcepta constringunt. Aliter conjugati, aliter virgines admonent Ecclesiastici onus subire ministerii. Fæminarum cum clericis nullo pacto conjuncta præcipitur conversatio. Janua diaboli, via iniquitatis, scorpionum percussio, nocivumque genus est femina: cum proximat, stimulat, incendit ignem. Flammihero igne percuit femina conscientiam pariter habitantis: exuritque fundamenta montium. Ego judico, si cum viris feminae habitent, viscarium non deicit diaboli: ex eis aucupatus est ab initio peccatum. Ferreas mentes libido domat. Si alligaverit quis ignem in sinu suo, vestimenta ejus non comburentur? Aut si quis ambulaverit super carbones ignis, pedes suos non comburet?

Mihi crede, non potest toto corde cum Domino habitare, qui femininarum accessibus copulatur. Sed dicis: qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter. Bene & arguè. Sed oportet te testimonium bonum habere ex his qui foris sunt. Licet coram Deo rectè incedas: tamen coram hominibus bona providenda sunt: quia & astutiores sunt filii lucis filii tenebrarum. Cum ergo hoc genus à te non amputatur: das reprehendentibus te locum, ipse te detrahentium moribus tradidisti, si agapetorum consortium non dimiseris. Benignus es, gaudeo: pudicus, falsum est. Si aliquis senserit clericum habitare cum feminis, non credit eum esse castum. Si pudicitiam queris: quare habitas cum feminis? Fæminam quam bene videris conversantem, mente dilige, non corporali frequentes ornatu. Non vestis tenera clericum facit, aut sacerdotem: sed casta mentis intentio. Hæc enim devotionem honoris in te custodit. Honorem quidem gloriosum, boni operis fama conservat. Sacerdotes quippe decet, vel cæteros clericorum gradus, ut supra dictum est, à feminis segregari.

Si igitur generis gratia judicas eadem nullo pacto dimittere: memento Thamar, quod ab Amnon fratre suo corrupta sit. Idipsum persequor dilectissime: ubi unius est tabernaculi conversatio: carnis non facile tollitur delectatio. De duobus enim quod unus desiderat: etsi loqui non potest, tentatur tamen. Remotio igitur viri, castitatis collocat arma: construit in melioribus castra: pudoris honorem consolatur. Potuit enim & Maria Mater Domini de choro Apostolorum non discedere, si liceret. Tecla post tentationem passionis Antiochie, à Paulo prohibetur pariter pergere. Nemo miles cum uxore pergit ad bellum.

Non invidio charitati tue: sit tibi cum castis virginibus longava dilectio. Tunc in bono meritum collocabis, & famam meliorabis, si congregationes constituis puellarum: pulchre censo in hebdomada secunda visitatione ad benedicendum congregationem venias: sed non solus, ne rumigerruli linguis te lacerantibus maculent. Alienam enim cupiunt vicini discutere vitam, non suam. Propterea dignè accipe meorum præcepta verborum: & monita humilitatis, quæ fraterno affectu calamo imperante expressimus, dulciter lege.

Jam verò ut reprehensibilis divini altaris non sit sacerdos: pauca de reliquis Apostoli testimoniiis quantum Dominus donat, exponam. Sufficiant superiores causæ, quæ dictæ sunt. Verum ne aliquis minus intelligens ad Episcopos tantum sentiat Apostolum fuisse locutum: quid de diaconibus ad Timotheum præceptum sit: quid de presbyteris ad Titum, commemorare delectat? Sed prætereundum non est superiorem explanare sententiam. Unius uxoris virum, & nova & vetus præcepto sacerdotem censuit eligendum: quia digamos ad ministerium plerique Episcopi applicuerunt; sicque asserunt, concubina fuit illa, hæc uxor, quasi non eadem sint commercia fœditatis in illa, quæ in hac exercentur, quæ uxor asseritur.

An quia conjugii tabulas non fecit, concupiscentia aliena non fuit? Nullo pacto digamos, vel concubinarum catenis insertos, decet subire sacerdotii ministerium. In Levitico scriptum est ac præfinitum, quales eligi debeant sacerdotes,

sicut habes: Et dixit Dominus ad Moysen: Sacerdos uxorem accipiat virginem de semine patrum suorum. Vidam verò aut destitutam, aut à vivo marito derelictam, non accipiat. Bene audivi præcipiente Domino Moysi, quia nec uxor debet sacerdoti digama convenire: ne honorem polluat sacerdotii. Sicut unius uxoris virum, sic unius viri mandat uxorem.

Si ergo clericus monogamus fuerit, & uxor ejus digama, noli eum ministerio applicare. Digamam enim duxit uxorem. Hæc Tito præcepta idem Apostolus de ordinandis clericis dedit. Et quia jam liber finem expectat: ad id redeamus unde digressi sumus. Nec si duæ vel tres pariter Dei ancilla morentur, solum ad eas ingredi convenit sacerdotem. Si quis hæc præcepta non observaverit: hostis est animæ suæ.

Quod si post monita nostra aliquis clericus agapetas amplius quæsierit amare quam Christum, secundum synodalem regulam conveniatur: & præcepta patrum in Nicea definita ei legantur. Jam verò si conventus fugerit prædicta & reliquerit: consecuti sumus maximum lucrum. Alioquin si neglexerit, talis ab Ecclesia Christi anathematizandus est. Germanant enim feminae spinas cum viris habitantes: & arcana mentium acuto mucrone percutiunt. Proh nefas: dolor est dicere, sed præterire non decet: Christo illæ nubere voverunt, non clericis.

Unde sine nuptiis genus novum uxorum: Et hoc ad nos quid pertinet, quod infamare non cessamus? A machera cessemus. Bonus honor est in Ecclesia, si à consortio virorum feminae sint longè. Monachum vel clericum solitudo facit, non publicum. Quid te virginalis delectat alloquium: Cur sanctimoniales contra fidem frequentas in Ecclesia, vel in ipso publico? Si eos quos diligenter viderint, ridentibus oculis salutationis tenera verba producant. Deinde cum salutarerint: si eas Dei viros præterire celerius viderint: contemptores suos judicant & irascuntur. Ordinatur deinde deserta satisfactio: post satisfactionem prandium, quasi nova læticia disponitur. Inter pocula improprietate verba contemptus: ille verò lamentati se simulat, quasi peccati genus inducens. Lege quia talis debet esse solitarius, qualem Jeremias esse descripsit. Ait enim: Sedebit solitarius & tacebit: quia levavit se super se. Bonum est viro cum levaverit jugum ab adolescentia sua. Et quia Jesu relictiis Apostolis, solus ibat orare. Mariam quoque in penetralibus angelus solum invenit, non cum agapeta loquentem: & illa virilem introitum trepidavit. Tu quæ fornax es malitiæ, quid à viro desideras frequentius salutari?

An nescis quia dupliciter famam perdis: tuam simul & clerici: cujus vita Ecclesia Christi debet ornari. Inordinata consuetudo est, & delicati sermonis fabulosa calamitas. Sed si hospitalitatem cupis habere: habes tuas sorores, illæ apud te in domum tuam vocari debent non clerici. Erit ad ædificationem tuam sancta virgo quod dixerò: In beatissimi Martini vita legimus commemorasse Sulpitium, quod transiens sanctus Martinus, quandam virginem moribus & castitate præcellens, cupiens visitare: illa noluit: sed xenium misit ei: ac per fenestram respiciens, ait sancto viro: Ibi pater sancte ora: quia à viro nunquam sum visitata. Gratiæ egit Deo sanctus Martinus: quod talibus imbuta moribus, castam custodierit voluntatem: & benedicens eam, abiit latus.

Hucusque sufficiat de feminis dictum. Consummata quippe virginum causa, transeamus ad reliqua. Hospitem præcepit Apostolus clericum ordinandum. Hoc præcepto pater Abraham & Loth angelos susceperunt: quia hospitalitatem inter cæteras dilexerunt virtutes. Sic & Onesiphorus Paulum doctrinæ fontem susceperit. Hæc imitationes sint vestra: & ne finatis incolam præterire, qui apud vos panem non comedit. Sequitur. Non percussorem. Nec enim pugilem describit Apostolus: qui conscientias non percussat singularum, sed modestum: & reliqua. Domum suam bene regentem: per quam horribile erit, si domui clericis detraharur. Lædet sacerdotis opinionem in plebe, quando de proximis ejus male loquitur populus. Super omnia hæc præcepit clericis boni testimonii Apostolus, fundamenta componere: ut bonorum operum testificatio, casto confirmetur affectu.

CENSURA EPISTOLÆ SEQUENTIS.

Clarius est quam ut admoneri debeat hanc Epistolam ejus.

dem esse artificis cuius est ea que proxime sequitur, & eadem sibi laborantis. Deum immortalis, que fuit impudentia hoc tribuere Damaso: cuius elegantiam etiam in scribendis versibus approbat Hieronymus, & exant alia quedam ejusdem de quibus character hominis deprehendi possit. Saltem mutasset aliquantulum sermonis habitum, cum nunc Damascus pro Dama, nunc Hieronymus videri studet. Sed quid faceret? cupressum modo simulare norat, nec alium habebat sermonis florem. Cumque deesse fallendi facultas, animum tamen non desuisse declaravit. Non saltem illud cavet, ne sacerdotem vocaret, qui non esset Episcopus, cum coseculo non vocarentur sacerdotes nisi Episcopi? demiror eum non eadem opera vocavit cardinalem, cum hoc vocabulum illis temporibus adhuc fuerit inauditum.

DAMASUS HIERONYMO.

DAMASUS Episcopus fratri & compresbytero Hieronymo in Domino salutem. Dum multa corpora librorum in meo arbitrio oblata fuissent: contigit ut librum psalmodiorum in meo animo festinus cognoscerem detineri, & memoriam capacitatis meae imbueret. Cogitavi frater amantissime & in Christo semper sacerdos, ut secundum septuaginta interpretes, id est, Mathiam & Ptolemaum, Mochium, Sacreum, Hydronium, Pamphilum, Zoastrem, Didymum, Sanium, Epiphanium, Ciatrem, Simonem, & ceteros in quantum nostra recurrit conscientia, de septuaginta invenire vestigia. Peto item charitatem tuam ut sicut a creatore tuo Alexandro coepiscopo nostro didicisti in gremio Græcorum psallere: ita & ad nos tua fraternitas dirigere delectetur: quia tanta simplicitatis indago est apud nos, ut tantum in die dominica Apostoli Epistola una reciteret: & Evangelii capitulum unum dicatur: & nec psallendi mos tenetur: nec hymnidicus in nostro ore cognoscitur. Peto ergo pet fratrem & compresbyterum nostrum Bonifacium: ut jubeat fraternitas tua rei hujus nobis aperire vestigium. Missa quinto kalendas Novembris per Bonifacium presbyterum Jerololyman.

CENSURA EPISTOLÆ SEQUENTIS.

Nihil vereor quantumvis sancte dejerare, non caruisse ferri quiquis hanc scripsit Epistolam. At primum demiror, nullum fuisse tam stupidum, aut certe quicquid qui speravit futurum, ut hac Epistola, qua nihil fingi potuit nec insulsum, nec indoctum, nec infantium, a quoquam pro Hieronymiana legeretur. Sed nihil est tam absurdum in rebus mortalium, quod non reperiat approbatorem. Quid non audeant histriones isti, posteaquam viderint huic etiam impudentia non desuisse successum? Inveni sunt tam nullis auribus, tam nullis oculis, imò tam nulla mente, ut has nugacissimas nugas ab Hieronymo scriptas putarent? At quis non ex ipsa statim salutatione deprehendat impostorem, nisi prudens clausit oculos? Damaso sedis Apostolicae urbis Roma Hieronymus supplex. Quaso, quando sic unquam salutavit Hieronymus? Deinde quam concinnè rem ingreditur: Legi literas Apostolatus tui poscentes, & reliqua que sequuntur, tam insulsa, tamque frigida, ut Jovinianus ipsi cuius infantiam tot salibus inspectatur Hieronymus, ad hunc collatus, Cicero quispiam videri possit.

HIERONYMUS DAMASO.

BEATISSIMO Papæ Damaso sedis Apostolicæ urbis Romæ, Hieronymus supplex. Legi literas Apostolatus tui, poscentes ut secundum simplicitatem septuaginta interpretum canens, psalmographum interpretari festinem propter fastidium Romanorum: ut ubi obsecutus impedit, apertius & Latine trahatur sensus. Precatur ergo eliens tuus, ut vox ista cujullibet psalmi, sive matutinis horis sive vespertinis conjungi præcipiat Apostolatus tui ordo, Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto: Sicut erat in principio & nunc & semper, & in sæcula sæculorum Amen. Istud carmen omni psalmo conjungi præcipias: ut fides trecentorum decem & octo Episcoporum Niceni Concilii, etiam vestri oris consortio declaratur. Ubi autem Deus & homo honorabili voce cantatur, Alleluia semper cum omnibus psalmis affigatur: ut in

omni loco communiter respondeatur nocturnis temporibus. In Ecclesia autem post resurrectionem usque ad sanctum Pentecosten finiat: inter diurnum verò spatia quinquagesimæ, propter novitatem sanctæ Paschæ, vox ista laudis canatur in Aleph: quod Græcè prologus, Latine præfatio dicitur.

ITEM HIERONYMUS DE DUODECIM Doctoribus.

IS nunc acriter, mi frater Desideri, ut tibi quasi de luminariis quæ toto firmamento mundi resurgent, pauca de scriptoribus qui nobis multa de obscuritatibus quæ propter carnalem mentem intelligentiam impediunt, ad splendorem considerationis spiritualis proferre poterunt, manifestissime dicam. Sed vereor Sufannæ Helchiæ filie ne in me sententia iniquo iudicio presbyterorum dicentis impleatur: Angustia sunt mihi undique, & mihi similiter sunt angustia. Si enim voluero aliquem ex his reprehendere, adversarios atque inimicitias mihi ubique concitabo: Si autem nolero, quod postulasti nunquam invenies. Sed unius tantum voluntatem condemnare, quàm multorum consilia transire vel despiciere melius esse videtur. Quia unusquisque eorum in Scripturis sanctis diligenter laudari meruit. Sed omnes leniter leviterque cum omni timore tangam ut utrumque pacifice impleam.

UGUSTINUS Episcopus volans per montium cacumina quasi Aquila, & ea quæ in montium radicibus fuerint non considerans, multa cælorum spatia, terrarumque situs & aquarum circulum claro sermone pronuntiat. Qui enim in lignum fructuosum ascendere vult, paulatim ad superiora & majora poma carpere festinat, ramos autem proximos parvulis relinquit. Nos autem parvuli sumus infirmique atque minores: si inferiora cogitare voluerimus, nobiscum bene agitur.

ILARIUS Episcopus lucifer Romanorum, Ecclesiarumque lucerna & pretiosus lapis, ad quem mortalia vix ascendunt pulchro sermone aureoque ore universa loquitur. Si ejus aliqua secus viam cecidisse potuissent; tamen ab eo in scripturis messis magna exorta est.

ORIGENES Adamantius altiora ac majora cogitans, proprioque ingenio non sufficiens, aliud subnectit. Et cum hac nimio mentis ardore cogitasset, oneribus majoribus caricabat se: & cum sic incidere non potuisset, ruina magna illuc devolutus est, ut ruina ejus parasset ad doctrinam ejus aliquas seductiones ineptas: multoque de via recta vocibus in aliam viam perduxit, & venenum quasi tinnulis Syrenarum canticis pluribus nocere potuit: Melior omnibus in bonis: peior in malis. Alia vera verò secus viam seminata sunt: multi tamen discipulorum ejus pessimi multa venenosa sub nomine ejus edidisse testantur.

EUSEBIUS Cæsariensis clavis scripturarum, custosque novi Testamenti multis major in conscriptione esse à Græcis condemnatur. Tria sunt præclara quæ hoc in operibus ejus testatur: Canones quatuor Evangeliorum, quinquedecim historie Ecclesiasticæ, quæ novum Testamentum narrant, atque custodiunt, & Chronicon, id est temporum breviarium & omnia ejus vestigia quo iterare potuisset nunquam reperimus.

ELIODORUS presbyter domum amplissimam per modicum formam aspiciens, tentansque ostia conclusa, clavemque non habens, vix pauca ad lucem prodere convaluit: sed quæ potuit narrare, fideliter narravit.

AMBROSIIUS frater profundorum penna raptus & veris volucer, quamdiu in profundum ingreditur, fructum de alto carpere videtur. Et omnes sententiæ ejus fidei Ecclesiæ & omnium virtutum firmæ sunt columnæ.

DARDANUS quoque multas quæstiones arripiens per mentis astutiam nucemque circa nucleum non confringens, multa impossibilia de scripturis cum fiducia loquitur.

PAULINO visum est magister fieri, & non erat ante discipulus, & fructum sine radice oriri ferique tentavit: ideo ejus conscriptiones scriptore & charta non indigent.

PELAGIUS de qua apud fideles sermo est, de quo etiam & mihi gravis disputatio verborum pene in toto orbe annunciata est; quem omnes Ecclesiæ quasi lupum de sil-

Ex MS. Annuat. Florent. Ser. v. tarum. Collatum ad S. Crucis. Minorian Florent. col. 272.

* al. amore.

* al. congregate.

* al. aliquid.

* al. dicitur.

* al. alios ejus pessimos discipulos.

* & undecim.

* per.

* causa disputationis.

va

comitant va * cognominant, aureum colorem super nigrum venenum componens, fontem dulcem primi mellis amaritudine maritima commiscuit.

JOVINIANUS leta facie & corde aspero, potu dulcissimo commixto multos potavit, & contrarias sententias per odium occasionis Christianis profertens composuit: & me quamquam in omnibus laboriosum, assidue quæstionibus infinitis afficit & vexat.

JULIUS Africanus cuius vestigium omnes Orientales Australisque diligenter unanimiterque in Danieli hebdomadibus investigant, universa temporum spatia cum omni pericia jugique sermone construxit. Et nulla ab omnibus quæ dicta sunt per eum, in toto orbe unquam data est contradictio.

FAVONIUS à multis culpabilis, dura sententia, fortiterque universa difficilia ingerere conatus est. Et quasi qui contra undas maris navigare non potest, vel contra impetum torrentis validi natere non valet; ita cuncta quæ scripsit contra Scripturas sacras, constare non poterant: ideo quasi umbra secus homines sunt.

CENSURA EPISTOLÆ SEQUENTIS.

De hoc opusculo non possum aliud judicare, quam quod ipsum præ se fert. Nec ipsa febris quicquam scribere posset infans, nec ipsa temulentia remulentiis. Deinde quid stultius, quam ubi professus sit se de luminariis toto mundi firmamento luculentibus diciturum, Pelagium, Jovinianum, & consimiles inculcare tenebrosas. Ad hæc quam bello digerit ordine Catalogum, Augustinum omnium ætate postremum, primo recensens loco: quosdam sic admiscens, ut nescias de quibus loquatur. Ambrosium fratrem vocat, Eliodorum presbyterum. In summa non queo suspicari, quid isti bubulco venerit in mentem, nisi quod aliquis inepie favens Augustino, eum hoc tam bello monumeto voluerit cohonestare. Et tamen hæc stupidissima bellua affectavit ut Hieronymus videretur, cum de Joviniano loquens, & me, inquit, quamquam in omnibus laboriosum assidue quæstionibus infinitis afficit & vexat. Et ne quis dubitaret hunc esse Hieronymum, in fine atque tres vitas ex Catalogo quem scripsit Hieronymus de viris illustribus, Hilarii, Damasi, & Gregorii Nazianzeni. Ne quid mireris optime lector, si videor hæc cum stomacho scribere. Quis enim vel literis favens, vel tam incomparabilis viri gloria, non indignè ferat, tam indocta, tam stulta, tam insana blateramenta in Hieronymi conferri nomen?

SCRIPTORUM ECCLESIASTICORUM Catalogus ad Desiderium.

IS nunc acriter mi frater Desideri, ut tibi quasi de luminariis, quæ toto firmamento mundi resurgent, pauca de scriptoribus, qui nobis multa de obscuritatibus, quæ propter carnalem mentem intelligentiam impediunt, ad splendorem considerationis spiritualis proferre poterunt, manifestissime dicam. Sed vereor Sufannæ Helchiæ filie, ne in me sententia iniquo iudicio presbyterorum impleatur, dicentis: Angustia mihi undique sunt, & mihi similiter sunt angustia. Si enim voluero aliquem ex his reprehendere, adversarios atque inimicitias mihi undique concitabo. Si autem nolero, nunquam quæ postulasti invenies. Sed unius tantum voluntatem condemnare, quàm multorum consilia transire vel despiciere, melius esse videtur: quia unusquisque eorum in Scripturis sanctis diligenter laudari meruit, sed omnes breviter leviterque cum omni amore tangam: ut utrumque pacifice impleam.

UGUSTINUS Episcopus volans per montium cacumina quasi Aquila: & ea quæ in radicibus montium sunt, non considerans, multa cælorum spatia, terrarumque situs, & aquarum circulum, claro sermone pronuntiat. Qui enim in lignum fructuosum ascendere vult, paulatim ad superiora & majora capere poma festinat: ramos autem proximos parvulis relinquit. Nos autem qui parvuli sumus, infirmique atque minores: si inferiora congregate valuerimus, nobiscum bene agitur.

ILARIUS Episcopus Romanorum, lucifer lucernæque Ecclesiarum, & pretiosus lapis: ad quem mortalia vix ascendunt, pulchro sermone aureoque ore universa loquitur.

Est enim aliqua secus viam cecidisse potuissent: tamen ab eo in scripturis messis exorta est magna.

ORIGENES Adamantius, altiora ac majora cogitans, propriumque ingenium ferre non sufficiens, dum aliud loquitur, per aliud se necit. Et cum hæc nimio mentis ardore cogitasset, oneribus majoribus caricabat se: & cum sic incidere non potuisset, ruina magna illuc devolutus est, ut ruina ejus pareret doctrinas per aliquas seductiones ineptas, multoque de via recta in aliam viam perduxit: & venenum ejus quasi tinnulis vocibus, Syrenarumque canticis plures necare potuit. Melior omnibus in bonis, peior in malis. Aliqua verò per eum secus viam seminata sunt: multi tamen aliquos ejus pessimos discipulos, multa venenosa sub ejus nomine edidisse testantur.

EUSEBIUS Cæsariensis clavis scripturarum, custosque novi testamenti, multis major in conscriptionibus à Græcis comprobatur. Scripsit quatuor canones Evangeliorum: & undecim libros historie Ecclesiasticæ, qui novum testamentum narrant atque custodiunt: & xviij, id est temporum breviarium. Hæc tria sunt præclara, quæ in operibus ejus testantur: & nos ante omnia ejus vestigia qui imitari potuissent, nunquam reperimus.

ELIODORUS presbyter domum amplissimam per modicum foramen respiciens: tentansque ostia conclusa, clavemque non habens, vix pauca ad lucem prodere convaluit: sed quæ potuit narrare, fideliter narravit.

AMBROSIIUS frater, profundorum penna raptus, & æris volucer, quamdiu in profundum ingreditur, fructum de alto carpere videtur. Et omnes ejus sententiæ, fidei Ecclesiæ, & omnium virtutum firmæ sunt columnæ.

DARDANUS multas quæstiones arripiens per mentis astutiam, nucemque circa nucleum non confringens, multa impossibilia de scripturis cum fiducia loquitur.

PAULINO visum est magistrum fieri: & non erat ante discipulus: & fructum sine radice oriri ferique tentavit. Ideo ejus conscriptiones, scriptore & charta non indigent.

PELAGIUS de quo apud fideles sermo est, de quo etiam & mihi gravis causa disputationis ejus verborum pene in toto orbe annunciata est: quem omnes Ecclesiæ quasi lupum de sylva mirantur, aureum colorem super nigrum venenum componens, fontem dulcem primi mellis amaritudine maritima commiscuit.

JOVINIANUS leta facie, & corde aspero, potu dulcissimo felle commixto, multos potavit: & contrarias sententias per odium occasionum Christianis profertens composuit: & me, quamquam in omnibus laboriosum, assidue quæstionibus infinitis afficit & vexat.

JULIUS Africanus, cuius vestigium omnes Orientales Australisque diligenter unanimiterque in Danieli hebdomadibus investigant, universa temporum spatia cum omni pericia jugique sermone construxit: & nulla ab omnibus quæ dicta sunt per eum in toto orbe unquam data est contradictio.

FAVONIUS à multis culpabilis, dura sententia fortiterque universa difficillima ingerere conatus est: & quasi qui contra undas maris navigare non potest, vel contra impetum torrentis aquæ natere non valet: ita cuncta quæ scripsit contra scripturas sanctas, obstare non poterant: Ideo quasi umbra secus hominem sunt.

ILARIUS Pictavorum Aquitanie Episcopus, factione Saturnini Arelatenis Episcopi, de synodo Byterensi in Phrygiam relegatus, duodecim adversus Arianos confecti libros: & alium librum de synodis, quem Galliarum Episcopis scripsit, & in psalmos tres commentarios, primum videlicet & secundum: & à centesimo decimo octavo, usque ad extremum. In quo opere imitatus Origenem, nonnulla etiam de suo addidit. Est ejus ad Constantium libellus, quem viventi Constantinopolim direxit: & alius in Constantium, quem post mortem ejus scripsit: & liber adversus Valentem & Ursatium, Ariminensis & Seleucensis synodi historicum continens, & ad præfectum Salustium, sive contra Diocorum. Et liber hymnorum & mysteriorum: alius & commentarius in Mattheum, & tractatus in Job, quos de Græco Origenis ad sensum transtulit. Et alius elegans libellus contra Maxentium, & nonnullæ Epistolæ ad diversos. Aiunt quidam scripsisse eum & in Canticum canticorum: sed à nobis hoc opus ignoratur. Mortuus est Pictavis Valentiniano & Valente regnantibus.

D d

Tom. V.